

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

Divisio Libri. Cap. II

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

mnibus differentis proprietatum actionis imitari desiderant. Labora itaque studere in nostris voluminibus, præcipue in hoc libro, & dicta nostra sæpissime in corde tuo revolve : Ut intentionem ex nostræ loquelæ modo veram elicias : in iis enim invenes super quæ intentionem tuam fundare possis, & scies ex eis errores à te repellere, & in quibus imitari naturam possis in artificio nostri famosi ac ingeniosi operis.

### *Diviso Libri.*

#### CAP. II.

**P**Rimo igitur breviter ponemus impedimenta omnia, quibus in hoc opere artifex impeditur, ne verum finem adipiscatur. Et tandem dicemus ea, quæ artificem hujus operis in se habere expedit & oportet. Secundo disputabimus contra ignorantes & sophistas, qui propter suam ignorantiam ac impotentiam hujus artis magisterium, proficuumque inquirendo, artem interimunt, & eam non esse affirmant. Ponemus ergo in primis omnes rationes & persuasiones eorum, & postea illas evidentissime destruemus, ita ut prudentibus satis pateat illorum sophistarum argumentationes in nulla parte veritatem continere. Tertio disputabimus super principiis naturalibus quæ sunt de intentione

naturæ, & ibidem super modo commixtionis eorundem ad invicem ab opere naturæ, & super eorum effectu secundum antiquorum philosophorum sententias. Quarto narrabimus principia quæ sunt de intentione hujus nostri magisterii, in quibus imitari naturam possumus, & modum commiscendi & alterandi secundum cursum naturalem congruum naturæ, cum causis suis & experimentis manifestis, ut ex his artificis industria dilatetur ad reducendum ea ad hujus operis ingeniosi intentionem.

## PRIMA PARS

## LIBRI I.

*De impedimentis hujus artis.*

## Divisio impedimentorum.

## CAP. III.

**S**unt ergo impedimenta huic operi supervenientia duo generalia, naturalis scilicet impotentia, & impensæ necessariæ defectus, vel etiam occupationes laborum extraneorum. Naturalem tamen impotentiam multiplicem fore dicimus. Ex parte scilicet organi artificis, & ex parte animæ ipsius. Ex parte autem organi artificis multipliciter, aut enim quia organum artificis fit debile, aut ex toto corruptum. Ex parte vero animæ similiter multipliciter, vel quia